



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

XX. Erzbischof Burchard von Magdeburg vereignet dem Kloster Riddagshausen einen Hof mit der Egidien-Capelle zu Magdeburg, indem er bezeugt, daß das Kloster den Bischof Johann von Havelberg davon ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54314)

de Netzow, Reynekinus huno, dominus huno, seruitium debitum et quidquid possint. Notum sit omnibus paginam hanc visuris, quod nos vnanimiter dominum Conradum lupum sub ducatu nostro pre omnibus amorem domini nostri Nycolai de werle diligentibus ante Indaginem noui castri et omnes venientes cum eo veniendi proxima II^a feria placitandi hora tertia conducamus, post placita secure ad propria redeundi; que propter maiorem securitatem sigillo domini thiderici Kufgart et domini Johannis de owe fecimus roborari. Datum vltima dominica die ante festum beati Johannis baptiste, in indagine noui castri, hora tertia.

Aus dem Kloster-Archive zu Heiligen Grabe.

XX. Erzbischof Burchard von Magdeburg vereignet dem Kloster Riddagshausen einen Hof mit der Egidien-Capelle zu Magdeburg, indem er bezeugt, daß das Kloster den Bischof Johann von Havelberg davon abgefunden habe, im Jahre 1301.

In nomine domini Amen. Borchardus, dei gratia sancte Magdeburgensis ecclesie Archiepiscopus, Bernardus prepositus, Godefridus decanus totumque ejusdem ecclesie capitulum Uniuersis christi fidelibus has litteras inspecturis, salutem in domino sempiternam. Ne ea, que sunt in tempore, simul cum tempore transeant, solent scripturarum testimonio memorie hominum commendari. Notum itaque esse volumus tam presentis temporis quam futuri hominibus, quod nos de unanimi consensu et pari voluntate curiam ad dotem nostre ecclesie Magdeburgensis pertinentem, sitam ex opposito curie predictorum fratrum prope et infra muros Magdeboreh, in qua siquidem curia Capella sancti Egidii sita est, et quam etiam venerabilis dominus Joannes, Havelbergensis ecclesie episcopus, aliquandiu possedit et habuit, de sua conniuentia viris in Christo religiosis Abbati et Conuentui Monasterii in Riddershufen, Cisterciensis ordinis, Halberstadenensis diocesis, contulimus et donauimus iure proprietatis perpetue possidendam, renunciantes omni exceptioni et actioni, que possent in contrarium provenire, ac omni legum et canonum auxilio, promittentes firmam ac debitam Warandiam ejusdem curie Abbati ac conuentui antedictis; Recipientes triginta marcas Stendalientis argenti a jam dictis Abbate et Conuentu in restaurum. Hoc nichilominus protestantes, quod idem Abbas et Conuentus ipsam curiam a predicto domino Joanne, Havelbergensis ecclesie Episcopo, qui eam iusto titulo pro tempore possederat, absoluerunt legitimo pretio mediante. In cuius rei testimonium presens scriptum inde confectum nostris sigillis fecimus communiri. Testes sunt Joannes de Brunswigk, Magister Conradus longus de Brunswig, nostre curie cappellani, Joannes de Borch Canonicus ecclesie sancti Nicolai de nouo foro Magdeburg, frater Amelius conversus, Heyno de Alsleue, Henningus de Bardeloue, Tylo Marscalcus, Joannes Burgravius de Louborch, milites nostri, Heyno de Hornhufen et seseko de Calve famuli, et quam plures alii fide digni. Actum et datum Magdeburgi, Anno domini M^o. CCC^o. primo.

Nach Lenz Magdeburgischer Stiffts-Historie Anh. S. 515.